Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26085
Copyright: Admont, Benediktinerstift

fixa est uulnere amoris mentis. Unde et in canticis canticorum dicitur: Vulnerata caritate ego sum. Mala autem salus est cordis quae dolorem huius uulneris nescit. Cum uero iam in caelesti desiderio anhelare et sentire uulnus amoris coeperit, fit anima salubrior ex uulnere, quae prius aegrotabat ex salute. Menti autem sponsum suum fortiter amanti de mora uitae praesentis una solet esse consolatio, si per hoc quod ipsa ab eius uisione differtur, aliorum animae eius uerbo perfectae et ad caelestis sponsi amoris facibus inardescant. Maeret quia differri se conspicit, triste est ei omne quod aspicit, quia illum adhuc non uidet quem uidere concupiscit. Sed est ut dixi non parua consolatio, si cum feruens anima differtur, per eam multae colliguntur, ut tarde cum multis uideat quem sola uidere citius uolebat. Unde rursum in cantico sponsa dicit: Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Quid namque sunt flores nisi animae bonum iam inchoantes opus et desiderium caelestis redolentes? Quid mala de floribus nisi perfectae iam bonorum mentes, quae ad fructum perueniunt boni operis de initio sanctae propositionis? Quae ergo amore languet fulciri quaerit floribus, stipari malis, quia illum quem uidere desiderat uidere adhuc non permittitur, magna ei est consolatio si de aliorum prouectibus laetetur. Anima ergo sancto amore languida floribus malisque fulcitur, ut requiescat in bono opere proximi, quae adhuc contemplari non ualet uultum Dei. Pensemus ergo qualis thalamus Pauli mens fuerit, qui dicebat: Mihi autem uiuere Christus est et mori lucrum. Omnipotenti Deo intimo se amore coniunxerat, qui sibi uitam Christum tantummodo et mori lucrum esse deputabat. Hinc est quod iterum dicit: Desiderium habens dissolui et esse cum Christo, multo magis melius. Sed ecce qui dissolui desiderat quo amore langueat uidemus, quia interim differri se conspicit, fulciri se floribus requirit. Quaeritur plane. Nam sequitur: Permanere autem in carne necessarium propter uos. Et proficientibus discipulis dicit: Quae enim est mira nostra spes aut gaudium aut corona gloriae? Nonne uos ante Dominum nostrum Iesum? Hinc est quod isdem thalamus uno calamo in longum et uno calamo in latum dicitur mensus. Longitudo enim proprie ad longanimitatem expectationis pertinet, et latitudo ad amplitudinem caritatis. Tantum ergo unusquisque thalamus habet in longitudine, quantum et in latitudine habere potuerit, quia mens caelesti desiderio succensa, quantum habuerit amorem ad